

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1392

Auteur(s) : Guillaume de Tournebu [particulier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Sainte-Catherine ou La Trinité-du-Mont (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1151-1200]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Accommodement de Guillaume de Tournebu, pour l'église de Hautevesne [Authevernes], etc.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Pommeraye Jean-François, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen de Rouen*, Rouen, Lallemand, 1662, p. 78.
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862, t. 1, p. 148.

Dissertation critique

Vers la deuxième moitié du XIIe siècle.

Texte établi d'après a

Universis ecclesie Christi fidelibus tam futuris quam presentibus notum sit ; quod ego Vvillelmus de Tornebu assensu et voluntate patris mei et fratrum meorum concessi et in perpetuam eleemosinam dedi Abbati et monachis sancte Trininitatis [sic] de monte Rothomagi, totum jus quod clamabam in ecclesia de Altavesne, sicut Dominus et haeres patris mei in eadem villa. Praeterea concessi eidem abbati et monachis ut de nemore communi inter me et ipsos quartam partem per omnia libere et quiete habeant et possideant. Ita videlicet quod ipsorum forestarius quartam partem illorum, similiter et meus forestarius tres partes ad me pertinentes communiter custodient. Quod si forte contigerit ut de communi consilio, mei scilicet et abbatis et monachorum praedictum nemus extirpetur et in agriculturam veniat : ipse abbas et monachi de eadem terra quartam partem libere et quiete habebunt. Pro utilitate ecclesie suae quidquid voluerint de eadem facturi. Cum autem messium tempus advenerit : campartarius meus absque illorum campartario in communi campartagio mei scilicet et ipsorum non poterit campartare. Similiter campartarius illorum meo campartario faciet, ita ut uterque ab utroque submoneatur. Sciendum vero est ; quod ipse abbas et monachi de eodem campartagio quartam partem debent habere ; reliquae vero tres : ad me de jure pertinent. Pro hac igitur concessione dederunt mihi abbas et monachi de charitate ecclesie viginti libras Andegauenses, et unum palefridum decem libras valentem. Et ne ista concessio in futurum alicuius malitia, aut etiam longi temporis prolixitate, in dubium revocetur ; scripti huius testimonio, et sigilli mei munimine confirmavi. Testibus hiis, Vvalterio de S.Vvalarico Rothom. Archidiacono. Richardo de Gislavilla. Alueredo de sancto Martino. Vvalterio de Vuarnevilla. Gisleberto de Vuascoil. Hugone de Vakepinz, justiciariis Regis. Roberto de Tornebu. Amalrico de Tornebu. Laurentio de Bosco. Radulfo Treton. Ioanne de Viuario, et multis aliis.